

et alii. (77. Septimo extinguitur per liberam remissionem patroni; quilibet enim renuntiare potest juri suo; cap. *Si diligenti* 12, De foro competent., etc. Si de terra 6, De privileg., et tenet Zoësius loc. cit. Pirhing l. e., et alii; arg. c. *Si Laicus*, unic. De jurepatron., in 6. (78. Octavo, si patronus rectorem, vel alium clericum ipsius ecclesie per se vel per alios occiderit, aut mutilaverit, eo ipso juspatronatus amittit, textu expresso in cap. *In quibusdam* 12, § Sacris, de penis. Nisi tamen id faceret ad sui necessariam defensionem, vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et tale juspatronatus ob hanc delicti causam extinctum non transit ad hæredes, sed ecclesia fit libera. Glossa in cit. cap. *In quibusdam*, verb. *Prorsus amittant*, Barbosa loc. cit., Pirhing loc. cit., Reiffenst. l. cit., Vivian. in Praxi jurepatronat., lib. xv, cap. 2, n. 10, et alii. (79. Nono, si patronus fiat hæreticus, schismaticus, aut apostata, seu hæreticorum receptor, factor et defensor, quia in tali casu bonis omnibus spoliatur, et consequenter etiam jurepatronatus eis annexo; arg. cap. *Absolutos* 16, De hæreticis. Moneta De Commut. ult. volunt. cap. 11. n. 158. Vivian. loc. cit., lib. xv, cap. 2, n. 6. Barbosa loc. cit. Engel loc. cit. Pirhing loc. cit. Reiffenstuel loc. cit. (80. Decimo, si patronus se ingerat in perceptione fructuum beneficii patronati, aut ejus bona usurpet, in tali enim casu ipso facto privatur jurepatronatus, et incurrit excommunicationem reservatam, textu expresso in concil. Trid., sess. 22, *De reform.* cap. 11. Vivian. loc. cit., lib. xv, cap. 1, n. 13. Franciscus Leo in Thesaurio fori ecclesiastici, p. 2, c. 2, c. 21, n. 32. Barbosa loc. cit., Reiffenst. loc. cit., et alii. (81. Undecimo, si patronus modo a sacris canonibus prohibito vendat, aut alio modo in alium transferat juspatronatus, quia in tali casu ipso facto privatur jurepatronatus, et excommunicationi subjicitur, textu expresso in concil. Trid., sess. 23, *De reform.*, cap. 9, § Nec dictum juspatronatus, Engel, loc. cit., Reiffenstuel. loc. cit., et alii. (82. Duodecimo, jurepatronatus privandus est, qui illud simoniace acquisivit; arg. cap. *Quia clerici* 6, De jurepatronatus, Zoësius loc. cit., Pirhing loc. cit., Reiffenst. loc. cit., et alii. (83. Tertiodecimo, si patronus ingratus sit ecclesie, perdit juspatronatus. Vivian. loc. cit., lib. xv, cap. 2, num. 4. Barbosa loc. cit. Surd. De aliment., tit. 7, quæst. 32, n. 9 et 19, et qu. 58, n. 2, et alii.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Disserit hoc in articulo Auctor de modis derivativis, quibus acquiritur juspatronatus, tum de modis quibus amittitur.

(84. Agens Auctor de successione, qui est unus de modis derivativis, asserit n. 7, plures hæredes pro inæqualibus partibus institutos æqualiter in juspatronatus succedere. At si intelligit de exercitio juspatronatus res haud caret difficultate; dum illud juxta hæreditarias partes dividatur. Confer

Gagliard. De jurepatronat., cap. 10, n. 4. (85. Quod, inquit Auctor, n. 9, conventiones, in quibus jus presentandi per turnum dividitur, opus haud habere consensu ordinarii, accuratiori indiget discussione. Porro si conventio hæc sit inita inter eos, quorum aliquis nullam prorsus partem juspatronatus habeat, necessarius ad ejus validitatem est consensus ordinarii, isque non ratione juris presentandi per turnum, sed alienationis in extraneum; Rot. in Mediolanen. Juspatronatus 4 Junii 1734, cor. bon. mem. Harrac.

(86. Quod si inita sit dicta conventio inter patronos, sed sit inter eos aliquis qui alienare quoquomodo prohibeatur, ut est patronus ecclesiasticus, opus est ad ejus validitatem, ratione dictæ prohibitionis, confirmatione pontificia; Rota in Paderbornen. Canoniceatus 25 Junii 1726, cor. bon. mem. Cer.

(87. Si inita sit dicta conventio inter patronos quorum nemo alienare prohibetur, sed patronis in suo cuique turno adjectum sit onus presentandi has vel illas personas, ratione hujusce oneris ad illius validitatem accedere pariter debet pontificia confirmatio; Rot. in Valentina Beneficii 28 Junii 1723, cor. bon. mem. Gamach.

(88. At si dicta conventio intersit inter patronos, nec aliquis de ipsis alienare sit prohibitus, nec onus iis sit adjectum presentandi aliquem de certo genere personarum, subsistit sine ulla ecclesiastici superioris auctoritate; Rota cor. Dunozet. Jun. dec. 702, n. 1, et in Compostellana Parochialis 22 Febr. 1734, § Ubi vero, cor. Eminentiss. Crescentio.

(89. Utrum ad firmitatem dictæ conventionis requiratur consensus omnium patronorum, an sufficiat consensus majoris partis ipsorum, non incongrua quæstio est. Requiritur consensus omnium patronorum videntur affirmare Piton. De contro. Patron., allegat. 109, n. 318. Rota in Pistorien. Beneficii 1716, § Alia cor. bon. mem. Cerr.

(90. At ita intelligas, ut possit dictam conventionem impugnare patronus, qui non consensit, non item aliqui de patronis, qui suum præstiterunt consensum, quibusque propterea vetitum esse debet factum proprium impugnare; Rota in Hydruntina Capellanice 10 Maii 1679, § final. cor. bon. mem. dell' Olmo, et Barchinonen. Beneficii 22 Februarii 1704, § final. cor. bon. mem. Cafarell.

(91. Quenam requirantur, ut hæc conventio efficere possit ex persona propria vocatos ad juspatronatus, vide apud Piton. De contro. patron., alleg. 71, n. 15.

(92. Nec inutile est hic accuratius explicare, an et quando, re non integra, possit necne supervenire consensus ordinarii, et validare actum, in quo fuit translatus juspatronatus. Plures vero distinguendi sunt casus. Enimvero ubi agitur de donatione simplici juspatronatus inutilis est consensus ordinarii superveniens, re nondum integra; idque quia, non obstante hu-

jusmodi donatione, liberum erat donanti ab ea resilire, et ad alios juspatronatus transferre; Rot. in Pennen. Juspatronatus 2 Maii 1733, § 7, et seq. et in confirmatoria 3 Julii 1744, § 4, cor. clar. mem. Millin.

(93. Aliter se res habet quoad donationem juspatronatus continentem pactum juratum de non revocando. Etenim cum hujusmodi donatio irrevocabilis maneat quoad donantem, etiam ante consensum ordinarii; inde fit quod subsequens translatio, utpote irrita ex defectu potestatis, nullum præbere valeat impedimentum consensui ordinarii, qui, quandocunque supervenerit, validat actum usque ab initio; Rot. in Aquilana Beneficii 28 Junii 1749, § 3, cor. Rever. P. D. Canilliac. Decano, et in Compostellana parochialis de Coiros 8 Maii 1747, § 7, decis. coram illustr. Clement. inter impressas Romæ 1781, apud Barbiellini ad Miqervam.

(94. Quod in donatione juspatronatus, continente pactum juratum de non revocando, obtinet, id ex identitate rationis locum quoque sibi vindicat in dispositione ejusdem juspatronatus facta per legatum. Nam cum hæres nullatenus ex se impedire valeat, quominus adimpleatur voluntas testatoris favore alterius de suo juspatronatus disponentis; imo illam modis omnibus ad optatum finem perducere teneatur: hinc est quod, si ipse hæres contra fas et jura voluntatem defuncti eludat, donando ante consensum ordinarii juspatronatus, nullum ex hujusmodi irrita donatione oriri potest obstaculum supervenienti consensui ordinarii, qui propterea indistincte retrahitur ad diem factæ dispositionis in præjudicium cujuslibet actus interim gesti; Rot. in Tuden. parochialis de Teuton. 20 Junii 1757, § 13, et in confirmatoria 28 Novembris 1757, § 12, cor. R. P. D. Herreros.

ARTICULUS III.

*Juspatronatus, quoad ea quæ concernunt ejus probationem.*

SUMMARIUM.

1. Alleganti juspatronatus incumbit onus illud probandi: Et quomodo probari debeat in personis suspectis vel non suspectis de usurpatione, et quæ sint personæ suspectæ: ad num. 3. — 4. Ad hoc ut juspatronatus præsumatur acquisitum ex usurpatione, quid probari debeat; ad num. 8. — 9. Juspatronatus usurpatio in quibus præsumi possit: ad num. 12. — 15. Præsumptio usurpationis juspatronatus quando cesset: ad num. 22. — 25. Assignantur personæ privatæ, et non suspectæ de usurpatione juspatronatus; et quid requiratur ad patronatum probandum in prædictis personis: ad num. 26. — 27. Juspatronatus in personis potentibus quomodo probari debeat: et an requiratur scriptura authentica, et quæ sit talis scriptura: ad num. 30. — 31. Ad hoc ut scripturæ et instrumenta dicantur authentica, quid requiratur: ad num. 32. — 33. Scripturæ authentice ad probandum juspatronatus personæ suspectæ de usurpatione, quæ censeantur: ad num. 35. — 36. Presentationes per authenticas scripturas probandæ, an et quomodo esse debeant continuatæ: ad num. 42. — 45. Juspatronatus in personis privatis non requirit tam plenam probationem sicuti in personis potentibus. — 44. Assignantur et explicantur varii

FERRARIS. IV.

modi, quibus probatur juspatronatus in personis privatis, ubi plura alia scitu digna ad rem obiter afferuntur, ad num. 81. — 82. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad num. 86.

(1. Cum beneficia præsumantur libera, alleganti juspatronatus incumbit onus illud probandi. Rota recent. p. 4, tom. II, dec. 59, n. 9. (2. Alio autem modo probari debet juspatronatus a personis suspectis de usurpatione, in quibus exactiores probationes requiruntur. Conc. Trid. sess. 23 *De reform.*, cap. 9. Rota recent. par. 4, tom. II, dec. 59, n. 11. Et alio modo a personis privatis, in quibus conc. Trid. loc. cit. nihil innovavit circa hujusmodi probationem, sed illam reliquit in terminis juris communis; Rota p. 1, dec. 211, n. 2, et dec. 312, num. 2, part. 5, tom. I, dec. 290, num. 10, part. 12, dec. 162, num. 4, part. 17, dec. 220, num. 11.

(3. Personæ suspectæ de usurpatione juspatronatus sunt omnes domini civitatum, castrorum, aut locorum, duces, principes, marchiones, comites, barones, universitates, seu communitates, et alii quilibet domini perpetuam jurisdictionem habentes in loco beneficii. Sic declarasse sacram congregationem concilii refert Gonzalez ad Regul. 8, Cancell. gloss. 18, n. 66, et sæpe sæpius tenuit Rota, et signanter in Sorana juspatronatus 28 Aprilis 1603, coram Card. Pamphil. et in alia Jacen. parochialis 17 Junii 1603, coram eodem, et in Lucana juspatronatus 14 Junii 1621, cor. Coccino, et par. 2, rec. dec. 412, num. 4, et decis. 421, n. 1, part. 12, dec. 187, n. 1, part. 14, dec. 488, num. 6, 7 et 8. (4. Nec juspatronatus præsumitur acquisitum ex usurpatione ex sola potentia acquirentium, nisi etiam probetur eorundem temporalis jurisdictio in loco ubi situm est beneficium; Rota part. 3, recent. dec. 172, n. 10, et decis. 191, n. 2, part. 12, dec. 187, n. 1, et sæpe alibi. (5. Ita ut jurisdictio seu potentia extra locum beneficii non sufficiat; Rota part. 5, rec. tom. I, decis. 197, n. 37 et 38. Nisi potentia sit talis quæ influat etiam in locum beneficii; Rota part. 7, rec. dec. 282, n. 22, et sequent. par. 12, dec. 90, n. 26. (6. Cæterum usurpatio non præsumitur in personis privatis alicujus loci, quamvis sint potentes in alio; Rota part. 12, dec. 90, n. 24. (7. Imo, ut usurpatio suspicari valeat de familia, requiritur quod eadem familia sit in loco beneficii cum tali jurisdictione quæ incutiat formidinem ordinario, eumque retrahat a vindicanda usurpatione beneficii; Rota part. 19, tom. II, decis. 539, n. 6. (8. Neque ad hunc effectum potentia inducitur ex nobilitate et antiquitate familiæ; Rota part. 12, decis. 90, n. 21 et 22.

(9. Juspatronatus usurpatio non solum præsumitur in dominis temporalibus et familiis potentibus, ut supra; sed etiam in universitatibus seu communitatibus; Conc. Trid., cit. sess. 23, *De reform.*, cap. 9, ibi: «Seu communitatibus vel universitatibus» Rota part. 5, rec. tom. I, dec. 197, n. 31 et 32, et

part. 17, dec. 220, n. 9, par. 18, tom. II, dec. 768, n. 4, et sæpe alibi. (10. Et hoc procedit etiam in universitatibus seu communitatibus parvis, ut declaravit sacra congregatio concilii relata, et secuta a Rota par. 5, recen. tom. II, dec. 477, num. 14, et tenuit eadem Rota coram Mantica dec. 253, n. 3, et in Herden. Beneficii 11 Mart. 1596, coram Penia, et in Cremonen. capellanæ 2 Aprilis 1601, coram Coccino, ac alias sæpe, et cum plurimis tenet Barbosa lib. in Juris Ecclesiastici univers. capit. 12, num. 144, et part. 3 De offic. et potest. episcop., allegat. 72, n. 62, et in Trid. sess. 25 *De reformat.*, cap. 9, n. 50. (11. Imo hoc itidem procedit in universitatibus seu communitatibus parvis, quæ nullam jurisdictionem, seu imperium habent in loco beneficii; Rota part. 5, tom. II, dec. 477, num. 14, part. 9, tom. I, dec. 245, n. 6, part. 11, dec. 347, num. 14, part. 12, dec. 279, num. 3, et sic consuevit declarare sacra Congregatio apud Rotam pag. 5, tom. I, dec. 97, num. 36, et cum pluribus tenet Barbosa cit. allegat. 72, num. 32, et cit. cap. 12, n. 144 et sequent. (12. Etiam si essent universitates et communitates paucorum parochianorum; Rota cit. part. 5, tom. I, dec. 197, num. 36, ubi citat varias alias Rotæ decisiones. Barbosa cum pluribus aliis cit. allegat. 72, num. 32, et cit. cap. 12, n. 144 et 145.

(13. Cessat autem præsumptio usurpationis in confraternitate, seu congregatione personarum quæ nullam habent jurisdictionem, aut publicam auctoritatem aut potentiam; Rota part. 5, tom. I, dec. 290, n. 3 et 18, part. 9, tom. II, dec. 321, n. 10. (14. Item cessat præsumptio usurpationis, quando juspatronatus spectat ad præsidentes confraternitatis, etiam si ipsi eligantur a communitate; Rota ibidem num. 22. Barbosa cit. allegat. 72, num. 64, et cit. cap. 12, n. 149. (15. Item juspatronatus non præsumitur acquisitum ex usurpatione, si non totius universitatis, sed illius partis esse prætendatur. Sic decisum fuisse a sacra cong. Concilii referunt Gonzales ad Regul. 8. Cancellar. gloss. 18, num. 69. Barbosa cit. allegat. 72, num. 64, et in concil. Trid., cit. sess. 25, cap. 9, n. 51. (16. Item juspatronatus non præsumitur ex usurpatione, quando una illius pars spectat ad universitatem parochianorum, et alia ad alias privatas personas; Rota in una Aurien. parochialis 5 Decembris 1605, coram Manzanedo, et in Fesulana juspatronatus 8 Februarii 1610, coram Cavalerio, quæ est decisio 210 primæ partis recentior. num. 2. Barbosa in concil. Trident., loc. cit., num. 56.

(17. Cessat quoque præsumptio usurpationis, si privata persona seu familia habeat juspatronatus simul cum familia potenti vel universitate; Rota in Firmana altaris de Doriis 15 Februarii 1610, coram cardinal. Marquemont. et part. 2, recent. dec. 154, sub n. 7, et part. 17, tom. II, dec. 768, n. 6, Menoch. De præsumpt., lib. III, consil. 99, num. 15 et 16, et consil. 654. Barbosa in

concil. Trident., loc. cit., num. 53, et cit. cap. 12, num. 174. (18. Item cessat præsumptio usurpationis, quando communitas seu universitas possidet juspatronatus simul cum persona non suspecta; Rota in Lauden. juspatronatus 28 Junii 1630, coram Pirovano; Barbosa in concil. Trid., loc. cit., n. 54, et cit. allegat. 72, n. 64, et cit. cap. 12, n. 148. (19. Item cessat præsumptio usurpationis juspatron. si sit mixtum septem officialium laicorum nomine universitatis laicalis, et trium ecclesiasticorum privato nomine præsentantium ratione mixturæ et favore ecclesiæ. Barbosa in concil. Trident., loc. cit., num. 52; Sellius in Select. canonic. cap. 27, num. 4, ubi referunt dec. in Pampilonem 3 Augusti 1620. (20. Item cessat præsumptio usurpationis in jurepatronatus competente collegio juristarum; Rota part. 9, recent. tom. II, dec. 32, num. 12, part. 12, dec. 176, num. 4. (21. Item cessat præsumptio usurpationis in ecclesia seu monasterio; Rota part. 10, recent. dec. 322, num. 10; etiam si ecclesia sit domina castri, aut jurisdictionis temporalis; ipsa enim est justitiæ cultrix. Rota part. 5, tom. I, dec. 401, n. 7, et seq. ubi refert alias decisiones, Barbosa cit. allegat. 72, sub n. 64, et cit. cap. 12, num. 253, ubi refert alias Rotæ decisiones. (22. Item usurpatio juspatronatus non præsumitur in abbate jurisdictionem temporalem habente. Sacra Congr. Concil. in Sublacensi juspatronatus 12 Septembris 1621. Rota cit. part. tom. I, dec. 401, n. 10, Barbosa cit. allegat. 72, n. 64, et cit. c. 12, n. 153, et cit. sess. 25, c. 9, n. 45, et in Summa apostolic. dec. verb. *Usurpatio juspatronatus* n. 4, ubi citat Rotæ decisionem.

(23. Personæ privatae et non suspectæ de usurpatione juspatronatus, sunt patroni illi qui non sunt domini temporales loci ubi fundatum est juspatronatus. Rota in Papien. juspatronatus 17 Februarii 1611, coram Manzanedo, Barbosa De offic. et potest. episcop., cit. alleg. 72, n. 66, et in concil. Trid., cit. sess. 25, cap. 9, n. 45. (24. Unde juspatronatus talium personarum privatarum non admittit præsumptionem usurpationis, Rota in Tuden. parochialis 7 Novemb. 1611, coram Ubaldo, et part. 12, recent. dec. 90, n. 1. Barbosa cit. alleg. 72, n. 66. (25. Hinc ad probandum tale juspatronatus personarum privatarum non requiritur rigor a concilio Trident. præscriptus in cit. sess. 25, *De reformat.* cap. 9, sed pertinentia talis juspatronatus satis probatur ex probationibus sufficientibus de jure communi; Rota part. 4, tom. II, dec. 273, num. 1, et doctores communiter. (26. Item rigor concilii Tridentini in probando jurepatronatus non requiritur, si agatur non contra ecclesiam seu libertatem beneficii, sed solum inter ipsosmet patronos; Gonzalez ad Regul. 8. Cancellar. gloss. 19, n. 59. Piasec. in Praxi nova episcop., part. 2, cap. 5, n. 7, vers. *Non tamen.*, Barbosa lib. III, Juris ecclesiastic. univers., cap. 12, n. 149 et part. 3, De offic. et potest. episcop.

alleg. 72, num. 67, ubi adducit decisiones Rotæ.

(27. Juspatronatus in personis potentibus seu alias de usurpatione suspectis debet probari ex vero titulo foundationis vel dotationis, quæ ex authentico documento ostendatur, vel ex immemorabili cum præsentationibus continuatis spatio quinquaginta annorum, quæ omnes effectum sortitæ sint et authenticis scripturis probentur, et aliter facta probatio non suffragatur. Sac. Congr. Concil. apud Rotam in Sorana juspatronatus 28 Aprilis 1603, coram cardinal. Pamphil. senior., et sæpius Rota recent. et signanter p. 1, dec. 481, num. 2, part. 5, t. II, dec. 275, num. 2 et 3, et clare concil. Tridentinum sess. 25, *De reformat.* cap. 9.

(28. Juspatronatus fundatio et dotatio ubi est probanda in personis suspectis de usurpatione, tunc concilium Trid. d. cap. 9 requirens authenticum instrumentum intelligitur per authenticas scripturas tantum, et non sufficiunt testes, præsumptiones, et probationes a jure: sac. Congr. Concil. in Panormitana 19 Februarii 1633, teste Bonfadin. apud Barbosam in Summa apostolicar. decisionum, verbo *Juspatronatus*, n. 11.

(29. Unde juspatronatus in personis potentibus et suspectis de usurpatione non probatur ex enuntiativis antiquis cum quasi possessione præsentandi, quia observanda est forma tradita a concilio Trident. d. cap. 9, et æquipollens non sufficit; sac. Congr. Concil. teste Rota, in Jacen. parochialis 27 Junii 1603, coram card. Pamphilio senior. et sic tenuit sæpius Rota recent., et signanter, p. 4, tom. II, dec. 27, n. 16, part. 5, tom. I, dec. 197, n. 62 et 63, part. 16, dec. 182, num. 12.

(30. Scriptura authentica ad probandum juspatronatus censetur bulla episcopi, seu consensus in scripto datus ad fundandum, construendum, seu dotandum. Vivian. in Prax. juspatronatus part. 2, lib. XI, c. 5, n. 12. Piasec. in Praxi episcop. part. 2, c. 5, n. 6. Barbosa l. III, Juris eccles. univers., cap. 12, n. 118, et in Tridentin. sess. 25, cap. 9, n. 62, et part. 3, De offic. et potest. episc., allegat. 72, n. 24, cum aliis ibi citatis.

(31. Scriptura, ut dicatur authentica, debet continere omnia requisita a jure, tam in confectione quam in extractione; Aloysius Riccius in Praxi rerum fori eccles. resolut. 126, in 2. edit. Garcias De benefic. part. 5, cap. 9, n. 8. Barbosa cit. cap. 12, n. 119, et cit. sess. 25, cap. 9, n. 62, et cit. allegat. 72, n. 27. (32. Instrumentum regulariter, ut dicatur authenticum, non solum debet confici cum debitis requisitis ex dispositione juris communis, sed etiam intervenire debent solemnitates juris municipalis: Barbosa cit. c. 13 Juris eccles. univers., n. 119, cum Riccio ibi cit., et aliis. (33. Scripturæ authenticæ ad probandum juspatronatus personæ suspectæ de usurpatione censentur ipsæ testium attestaciones in antiqua acta redactæ, et in archivio publico repertæ: Rota dec. 542 et 580, part. 4, divers. Menoch. consil. 336, num. 23. Moneta De commut.

ultim. voluntat., cap. 10, n. 210; Vivian. cit. cap. 5, num. 18. Barbosa cit. cap. 12, num. 121, et cit. alleg. 72, num. 26, et cit. sess. 25, cap. 9, n. 63, cum aliis ibi citatis.

(34. Non sufficiunt tamen testium attestaciones etiam in instrumenta et in scripturas authenticas redactæ, si non fuerint confectæ in actu ipso præsentationis, et cadant super ipsis præsentationibus primario et directe, quia alias redderetur elusoria dispositio concilii quæ rejicit testes; nam sequeretur semper posse admitti probationes factas per testes, quoties redigerentur in instrumenta et in scripturas authenticas, quia hoc etiam posset dici probatio per scripturas authenticas; Rota in Terracinesi juspatronatus 10 Aprilis 1628, coram Merlino, Barbosa cit. cap. 12, num. 124, et cit. sess. 25, cap. 9, n. 65, et alii. (35. Nec etiam ad authenticam probationem juspatronatus sufficeret, si prætendatur authenticas scripturas deperditas fuisse, illas probare per testes juxta formam capituli *Cum olim 12, De privilegiis*; Rota in Calaguritana juspatronatus de Viana 2 Decemb. 1624, coram Remboldo, Gonzal. ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 18, n. 82. Parisius de confid. qu. 28, n. 258. Riccius in Praxi fori Eccles., resolut. 137, et in tract. De noviss. probat. juspatronatus resolut. 119 et 121; Barbosa cit. c. 12, n. 122, et cit. sess. 25, cap. 9, n. 66.

(36. Præsentaciones per authenticas scripturas probandæ debent esse continuatæ, ut expresse statuit ipsummet concilium loc. cit. ibi: *Etiam continuatæ*, ut scilicet una sequatur aliam. Parisius De confident., q. 28, num. 255. Riccius in Praxi for. eccles. resolut. 133, vers. *Amplia secundo*, et in tract. De noviss. probat. juspatronat., resolut. 133, n. 4; Barbosa cit. cap. 12, num. 112, et cit. allegat. 72, n. 55, et cit. sess. 25, n. 56. (37. Non est tamen necessaria probatio continuati temporis in præsentando si probentur extrema, cum tunc media præsumantur; Rota in Florentina cappellæ 30 Maii 1616, coram Pirovano, et in Januensi Abbatia 13 Junii 1625, coram Buratto, et supracitati doctores. (38. Et debent probari continuatæ saltem per spatium quinquaginta annorum, textu expresso in ipso concilio loc. cit. ibi: « Non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio. » (39. Et prædicti quinquaginta anni sumunt initium ab illo die quo apparet factam fuisse primam præsentationem et antiquiorem productam in actis cum subsequenti institutione, iique numerari debent usque ad diem litis postremo motæ, in qua controvertitur an sit et constet esse de jurepatronatus. Campanil. in Diversorio juris canonici., rubr. 11, cap. 13, num. 416. Barbosa cit. allegat. 72, n. 59, et cit. sess. 25, cap. 9, n. 57, ubi id resolvunt ex Rotæ decisione. (40. Nec sufficiunt præsentaciones continuatæ, nisi etiam sint effectum sortitæ, textu expresso in concilio loc. cit., ibi: « Quæ omnes effectum sortitæ sint. » Dicuntur autem effectum sortitæ, si sint confirmatæ præsentaciones. Riccius in tract. De noviss. probat. juris